

inquit Hieronymus, quia in nonnullis legitur, disserendum videtur... legitur quia probavimus non ignorare Filium consummationis diem, causa reddenda est, cur ignorare dicatur... Post resurrectionem interrogatus ab Apostolis de die, manifestus respondit: *Non est vestrum scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Quando dicit, *non est vestrum scire*, ostendit quod ipse sciat, sed non expediat nosse apostolis... denique et consequens Evangelii sermo id ipsum cogit intelligi. Dicens quoque Patrem solum nosse, in Patre comprehendit et Filium; omnis enim Pater Filii nomen est. »

Pater Dominicus Soto in *4 Sentent.*, dist. 43, qu. 11, art. 2, de laudato textu scribens, inquit: « Nihilominus nefas esset et hæresis dubitare, ut quidam hæsitant, illum apud Marcum vocem existere, propterea quod non sit apud Matthæum. » Et post concilium Tridentinum nemo catholicorum hac de re questionem movet. Soto loco laudato comparat Christum confessario. « Sicut enim confessarius multa scit ut Dei minister, quæ ignorat ut homo est, in humano commercio, ita et Christus, ut legatus Patris æterni, multa habebat sub sigillo, quæ prout magisterium exercebat apostolorum, se nescire dicebat. »

D. Augustinus pluribus in locis explicat laudatum textum. *Enarr. in psalm. vi*: « Ubi erit ergo, quod nec Filius hoc novit? Quod utique ideo dictum est, quia per Filium homines hoc non discunt, non quod apud se ipse non noverit, sed secundum illam locutionem: *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat*: Deuter. xiii, id est, scire faciat vos, etc. *Exsurge, Domine*, id est, fac nos exurgere. Cum ergo ita dicatur nescire Filium hunc diem, non quod nesciat, sed quod nescire eos faciat quibus hoc non expedit scire, id est non eis hoc ostendat, » etc. Similia scribit Augustinus lib. 1, de Trinitate, cap. 12: « Hoc enim nescit, quod nescientes facit, id est quod non ita sciebat, ut tunc discipuli judicarent, sicut dictum est ad Abraham: *Nunc cognovi quod timeas Deum*, Gen. xxi, id est nunc feci, ut cognosceres: qui et ipse sibi in illa tentatione probatus innotuit. » Nam et illud utique dicturus erat discipulis tempore opportuno: de quo futuro, tanquam præterito, loquens ait: *Jam non dicam vos servos, sed amicos. Servus enim nescit voluntatem Domini sui. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis*; Joan. xv. Quod nondum fecerat, sed quia certo facturus erat, quasi jam fecisset, locutus est: ipse enim ait: *Multa vobis habeo dicere, sed non potestis illa portare modo*, Joan. xvi. Inter quæ intelligitur et de die, et hora.

#### NOVÆ ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(1. Jusjurandum non male definitur: « Asseveratio religiosa animo jurandi facta rei alicujus, adhibita invocatione Dei in testem et vindicem. »

(2. Summa jurisjurandi divisio est, ut sit vel promissorium, vel assertorium. Promissorium est, quod futura negotia concernit, ut major illis firmitas, aut securitas accedat, quale est tutorum, curatorum, subjectorum, vassallorum, militum, judicum, advocatorum, honores suscipientium, et aliorum; est et illud, quod conventionibus subinde apponi solet. De hujus postremi jurisjurandi efficacia tum jure civili, tum jure Canonico, agemus in addit. ad art. III.

(3. Assertorium jurisjurandum est, quod præsentia, ac præcipue præterita negotia respicit. Estque vel affectionis in litem, vel veritatis. De priori agitur in Pandectis in tit. *De in lit. jurand.* Posterius, scilicet veritatis, vel a Testibus præstat, vel a litigantibus. Et hoc præstat, vel extra judicium, vel in judicio. Illud dicitur voluntarium. Fundatur in conventionem quadam seu transactione, ita ut, quæ alias in pactis et transactionibus attenduntur, ea hic quoque desiderentur.

(4. In judicio varia juramenta sunt recepta. Occurrit primo loco juramentum judiciale, quod pars parti defert in judicio, iudice approbante.

(5. Occurrit secundo juramentum necessarium, quod ob inopiam probationis iudex, etiam non rogatus, defert actori vel reo.

(6. Estque vel suppletorium, vel purgatorium. Suppletorium, quod iudex ei defert, qui semiplene, vel plusquam semiplene probavit. Purgatorium, quod juri canonico debetur, est quod iudex causa cognita, reo defert, si vel suspicionibus a parte adversa allatis, semiplenam tamen probationem non constituentibus gravatus est, vel si actor alia de causa ad suppletorium admitti nequeat ad elidendas istas suspiciones.

(7. Ad integritatem quoque judiciorum conservandam, introductum est juramentum calumniæ, tum generale, tum speciale.

(8. Habes, et quidem paucis omnes jurisjurandi species, si addas jusjurandum perhorrescentiæ, de quo in additione ad verbum *Judicium* dictum est.

#### ARTICULUS II.

##### *Juramentum quoad ea quæ concernunt juramentum judiciale.*

#### SUMMARIUM.

1. Juramentum judiciale prout respicit partes litigantes dividitur in juramentum calumniæ, malitiæ et de veritate dicenda. — 2. Juramentum calumniæ quid sit, et cur tale dicatur. *Ad n. 3.* — 4. Calumnia quid sit, tum in causis civilibus, tum in criminalibus. — 5. Juramentum calumniæ præstari debet super quinque capitibus, quæ assignantur. *Ad n. 6.* — 7. Juramentum malitiæ quid sit: et quæ ejus differentia a juramento calumniæ. *Ad n. 8.* — 9. Juramentum de veritate dicenda quid sit: et in quo differat, aut conveniat cum juramento calumniæ. *Ad n. 11.* — 12. Juramentum judiciale prout respicit decisionem causarum dividitur in juramentum decisorium litem, et in juramentum in litem: et quid sit utrumque. *Ad n. 13.* — 14. Juramentum decisorium litem triplex est, et assignatur, et explicatur. *Ad n. 17.* — 18. Juramentum in litem est quoque triplex, et assignatur. *Ad num. 21.* — 22. Ad jura-

mentum litem decisorium tum judiciale, tum voluntarium, tum necessarium, quod requiratur. *Ad n. 23.* — 26. Juramentum necessarium, sive suppletorium cui deferendum. *Ad n. 30.* — 31. Prædicta tria juramenta, an, quando, et ex quibus causis possint recusari. *Ad n. 36.* — 37. Pueri an sint admittendi, aut cogendi ad jurandum in judicio. *Ad n. 38.* — 39. Assignantur qui repellendi aut admittendi sint ad jurandum. *Ad n. 44.* — 45. Ex addit. ex aliena manu plura de juram. suppletorio subnecuntur. *Ad n. 62.* — 63. Juramentum purgatorium quid sit, et quando hujus præstationi locus detur: quidve amplius notandum. *Ad n. 68.*

(1. Juramentum judiciale, prout respicit partes litigantes, dividitur in *juramentum calumniæ, juramentum malitiæ, et juramentum de veritate dicenda. Ita in re communis.*

(2. Juramentum calumniæ est illud quo partes litigantes jurant, quod in judicio, tam agendo quam excipiendo, et defendendo absque fraude et calumnia versari, omniaque bona fide peragere velint, id est juramentum calumniæ est illud quod in principio litis, vel postea, alterutra parte exigente, necessario iudex deferre debet; actori quidem, *ut juret non calumniandi animo litem se movisse, sed existimando bonam causam habere*; reo vero, ut juret, quod putat, *se bona instantia uti ad reluctandum*, id est, resistere actori, existimando se jus habere, ut habetur in l. ii, in princip. Cod. De jurejurando propter calumniam.

(3. Et hoc dicitur *juramentum calumniæ*, subintelligendo *evitandæ in causis*, sicuti communiter cum Glossa in cap. *Si de calumnia 1*, de juramento calumniæ in 6, verb. *Calumnia*, exponitur illud Apostoli I ad Corinth. vii: *Propter fornicationem, scilicet evitandam, unusquisque suam habeat uxorem.*

(4. Calumnia enim, de qua evitanda hoc juramentum præstat, seu calumniari in causis civilibus est per meras frustrationes negotium differre, vel per fraudem alios litibus vexare, l. *Si calumnietur 233, in princ. ff. de verb. signif.* ubi dicitur, quod *Calumniatores appellati sunt qui per fraudem et frustrationem alios vexarent litibus.* Calumniari autem in causis criminalibus, nihil aliud est quam falsa crimina intentare: l. 1, § 1, ff. ad S. C. Turpillianum.

(5. *Juramentum calumniæ* præstari debet super quinque capitibus, ut tradit Glossa communiter recepta, in cap. *Inherentes 1*, de juramento calumniæ, verb. *Calumnia juramentum*, ubi sic expresse habet: « In juramento calumniæ quinque capitula continentur: scilicet quod credat se bonam causam habere, interrogatus non negabit, quod verum esse credit, nec utetur scienter falsa probatione, et quod dilationem non petat in fraudem, nec dedit, nec dabit, nec promisit, nec promittit aliquid pro hac causa, nisi illis personis quibus leges dare permittunt; » et ibi hæc quinque his versibus comprehendit.

Illud juretur, quod lis sibi justa videtur.  
Et si quaeretur, verum non indicetur.  
Nisi promittetur, nec falsa probatio detur.  
Ut lis tardetur, dilatio nulla petetur.

(6. Ubi, ut vides, in juramento calumniæ debet quis jurare: Primo, quod credat se justam causam habere, et fovere bonum jus, l. ii Cod. de jurejurando propter calumniam. Secundo, quod in judicio interrogatus veritatem respondebit super omnibus. Glossa loc. cit. Tertio, quod nihil promiserit, dederit, seu daturus sit per se, vel per alios causa patrociniis iudicibus, aliisve personis, exceptis iis quæ propriis advocatis aliisque personis, quibus a jure dari permittitur: authent. *Principales*, cod. de jurejurando propter calumniam. Quarto, quod non utetur scienter falsa probatione: authent. *In isto juramento*, cod. eod. Quinto, quod nullam petat calumniosam dilationem, neque probationem superfluum exigat ab adversario in fraudem, sive animo protrahendi seu differendi litem et causam, l. 1, authent. *In isto juramento*, cod. eod.

(7. Juramentum malitiæ est illud quod præstat non super tota causa, sed super exceptionibus, vel aliis singularibus articulis, sive ante, sive post litem contestatam, quoties est præsumptio contra partem litigantem, quod malitiose proponat exceptionem, quod petat dilationem, et hujusmodi. *Est in re communis*: arg. c. *Pastoralis 4*, de exceptionibus, et c. *Ultra tertiam 55*, de testibus, et desumitur clare ex cap. *In appellationis caus. 2*, de juramento calumniæ in 6, § *In omnibus autem causis*, et Glossa ibid; verb. *Malitiæ*.

(8. Juramentum malitiæ differt multipliciter a juramento calumniæ. Primo, quia juramentum malitiæ potest exigi, tam ante quam post litem contestatam, cit. cap. *In appellationis causa 2*, de juramento calumniæ in 6, § *In omnibus autem causis*. Juramentum autem calumniæ exigi potest tantum post litem contestatam, arg. cap. *Si de calumnia 1*, de juramento calumniæ in 6. Secundo, juramentum malitiæ potest exigi toties quoties aliquid malitiose dici vel fieri præsumitur, cit. cap. *In appellationis causa*, § *In omnibus autem causis*. Juramentum vero calumniæ in eadem instantia, et ab eadem persona, non nisi semel præstandum est, authent. *De iis qui ingrediuntur*, § fin., collat. 5, et authent. *In isto juramento*, Cod. de jurejurando propter calumniam, ubi expresse prohibetur: *Ne sæpius juretur in causa*. Et concordant cap. *Si Christus 26*, de jurejurando, et cap. 2, de probat. Tertio, juramentum malitiæ exigitur solum super aliquibus particularibus, super quibus adest præsumptio, quod aliquid malitiose proponatur, vel petatur ex citatis juribus sub num. 7. Juramentum autem calumniæ exigitur super tota causa seu lite, authent. *Hoc Sacramentum*, cod. de juramento calumniæ. Quarto, juramentum malitiæ fuit semper præstitum, tam de jure antiquo quam novo, nedum in causis profanis et civilibus, sed etiam in ecclesiasticis et spiritualibus, ut patet in cap. *Cum Dilectus 32*, de electione, et cap. *Litteras 13*, de restitutione spoliator. Juramentum vero calumniæ olim dabatur solum in causis pro-

fanis et civilibus, et non in causis ecclesiasticis et spiritualibus, et in istis præstatur solum de jure novo, ut expresse habetur in c. *Si de calumnia* 1, de juramento calumniæ in 6, § *Quamvis in causis spiritualibus*.

(9. Juramentum de veritate dicenda est illud quod præstatur super scientia seu veritate quam quis scit dicenda. Hinc juramentum hoc stricte et rigore loquendo cadit solum super scientiam (atque explicatur per verbum *Scio*), et non mere super credulitatem. Unde in rigore juris jurans de veritate dicenda non tenetur respondere, nisi id quod vere scit et novit per proprios sensus, arg. c. *Hortamur* 20, caus. 3, quæst. 9, ut patet clare de testibus, qui regulariter non probant, nisi deponant de scientia, sive de iis quæ propriis sensibus perceperunt, textu expresso in c. *Testes* 15, caus. 3, q. 9.

(10. Juramentum de veritate dicenda, et juramentum calumniæ, partim conveniunt, et partim differunt. Conveniunt primo, quia utrumque potest exigi ac præstari tam in exordio litis quam in qualibet ejus parte, textu expresso in c. *Si de calumnia seu veritate dicenda* 1, de juramento calumniæ, § 1, in 6. Secundo, conveniunt, quia utrumque etiam in causis spiritualibus est nunc de facto præstandum, cit. cap. *Si de calumnia*, § *fin.* Quamvis olim in causis spiritualibus non fuerit præstandum juramentum calumniæ, textu expresso in cap. *Litteras* 2, de juramento calumniæ. Tertio conveniunt, quia in causa appellationis, tam de veritate dicenda quam de calumnia jurari debet, non obstante quod a principio taliter juratum fuerit, textu expresso in cap. *In appellationis causa* 2, § 1, de juramento calumniæ in 6.

(11. Differunt vero, primo, quia juramentum calumniæ est juramentum credulitatis, quo quis jurat se credere, quod bonum jus foveat. Unde explicari solet per verbum *Credo*. Juramentum autem de veritate dicenda est juramentum de scientia seu de veritate, quam quis scit, dicenda, atque fit per verbum *Scio*. Hic juvat, et valde utile et expediens est præter juramentum calumniæ exigere a parte adversa etiam juramentum de veritate dicenda, sicuti de facto utrumque simul conjungitur, et exigitur in cit. c. *In appellationis causa* 2, de juramento calumniæ in 6; Pirhing lib. II Decretal., tit. 7, n. 28; Reiffenstuel ib., n. 14, et alii. Secundo differunt, quia juramentum calumniæ, cum feratur super tota causa, respicit multa capitula juxta dicta et adducta supra sub num. 5 et 6. Juramentum autem de veritate dicenda respicit unum solum capitulum, scilicet illud super quo exigitur et præstatur, quodque a jurante scitur juxta dicta et adducta supra num. 9. Tertio differunt, quia juramentum de veritate dicenda est species juramenti ut sic. Non sic tamen juramentum calumniæ. Ancharanus in cap. *In appellationis causa* 2, de juramento calumniæ in 6, n. 4; Reiffenstuel. loc. c., n. 14, et alii.

(12. Juramentum *judiciale*, prout respicit decisionem causarum, dividitur in juramentum *decisorium litis*, et juramentum *in litem Communis*. (13. *Juramentum decisorium litis* est illud per quod deciditur lis principalis; juramentum *in litem* est illud per quod deciditur æstimatio rei. *Est in re communis*.

(14. Juramentum litis decisorium est triplex, scilicet voluntarium, *judiciale*, et necessarium. *Communis*. (15. *Juramentum voluntarium seu conventionale* est illud quod voluntarie seu ex mera conventionione partium extra judicium defertur sub eo pacto quod, si una pars litigans, cui illud ab altera parte defertur confisa de justitia suæ causæ juraverit, absque alio processu causam obtineat; arg. l. *Jusjurandum quod* 17, ff. hoc. tit.; ubi sic habetur: « Jusjurandum quod ex conventionione extra judicium defertur, » etc.

(16. Juramentum *judiciale* seu juramentum *judiciale* specificè sumptum est illud quod a parte parti defertur in judicio iudice approbante, et tunc illa pars cui defertur tenetur vel jurare, vel parti deferenti juramentum referre, alioquin causam perdet, seu solvere tenebitur, cap. *Cum causam* 7, de juramento calumniæ, et l. *Jusjurandum* 34, § *Datur autem*, ff. eod. (17. *Juramentum necessarium seu juramentum supplementarium* est illud quod per iudicem alterutri parti ob defectum plenæ probationis, sive in ejus supplementum defertur, cap. *Sicut* 2, de probationibus, ubi Glossa verb. *Cum alia*, Fagnan. num. 5, Barbosa num. 4, et alii passim. Dicitur autem *necessarium*, partim quia iudex quandoque illud deferre cogitur, et partim quia delatum sine justa causa recusari non potest: cit. cap. *Cum causam* 7, de juramento calumniæ, et l. *Generaliter* 12, § *Sin autem*, cod. de reb. cred. et jurejurand.

(18. Juramentum *in litem* est quoque triplex, scilicet juramentum *in litem* ex veritate, juramentum *in litem* de affectione, et juramentum *in litem* de interesse. *Communis*. (19. *Juramentum in litem de veritate* seu vera æstimatione est illud quod defertur spoliato aut damnum passo super vera æstimatione seu valore rei per vim aut dolum alterius amissæ, quando alia probatio haberi non potest, l. *In actionibus* 5, § *Sed et in his*, ff. De in litem jurando. Si quis enim, verbi gratia, legitime probaverit violentiam sibi factam, nec tamen singula ablata liquido probare valeat, eo quod difficile sit probare singulas minutas quantitates seu parvas res ab hoc sibi ablatas fuisse, tunc iudex inspecta personarum et negotii qualitate, debet damnum illatum super rebus sibi ablatas, earumque valore deferre, quod videlicet tantum, et non minus, ablatum fuerit; et in tali casu erit standum ejus juramento usque ad quantitatem taxatam, textu expresso in l. *Si quando* 9, cod. Unde vi, et cap. *Super eo* 7, de iis quæ vi metus causa fiunt.

(20. Juramentum *in litem de affectione* est

illud quod defertur spoliato aut damnum passo, non tantum super vera æstimatione seu valore rei sibi dolo ablata vel destructa, sed etiam quantum res illa valebat juxta suam affectionem. Si quis enim, verbi gratia, mihi abstulerit aut destruxerit codicem, seu librum valentem communi æstimatione quinque scuta, et ego non dedissem pro decem scutis, eo quia mihi charissimus erat ob singulares annotationes magno meo labore in ipso conscriptas, tunc iudex in pœnam dolose aut contumaciter restituere recusantis potest mihi injuste spoliato deferre juramentum, quo juxta etiam meam privatam affectionem erga talem codicem seu librum illum sic æstimem et jurem, quod illum nec dedissem pro decem scutis, et inde iudex si non prius taxavit, potest ipsum taxare, et juxta communem æstimationem, et privatam meam limitatam et rationabilem affectionem, l. *Videamus* 4, § *Deferre*, et § *Item videndum*, ff. De in litem jurando, et ibi Glossa verb. *Ex magna causa*, vers. *Tu dicas*.

(21. Juramentum *in litem de interesse* est illud quod defertur et præstatur super interesse singulari et extra rem. Si quis enim, verbi gratia, pecuniam penes me deposuerit tali tempore restituendam, et ego dolose pro tali tempore non restituerim, et ideo ipse grave damnum sit passus, ex quo defectu talis non restituta pecuniæ perdidit pignora sub usuris, vel fuerit coactus emere merces interim pretio adauctas, tunc iudex propter meam dolosam et culpabilem dilationem restituendi pecuniam, potest deferre deponitori juramentum in litem de suo interesse singulari extra rem, scilicet, ut ipse juret in litem secundum æstimationem damni quod passus est ratione meæ dilatae culpabiliter et dolose ultra conventum tempus restitutionis talis pecuniæ, et hujusmodi: l. *Nummis* 3, § *Nisi forte*, ff. De in litem jurando.

(22. Ad juramentum litis decisorium ejusque delationem requiritur quod lis existat dubia, nec alio modo legitimo de veritate constare possit. *Communis*, textu expresso in cap. *Sicut* 2, de probationibus, ubi reprobat etiam consuetudo in contrarium ibi; « Nos (cum tunc demum ad hujusmodi, scilicet juramenti, sit suffragium recurrendum, cum aliæ legitimæ probationes deesse noscuntur) talem consuetudinem reprobamus. »

(23. Ad juramentum litis decisorium voluntarium seu conventionale requiruntur et sufficiunt ea quæ requiruntur et sufficiunt ad pactum seu transactionem ut sic, id est, ut tam deferens quam præstans juramentum a jure non prohibeantur, nec simpliciter, nec super tali re jurare seu transigere; juramentum enim voluntarium seu conventionale speciem continet transactionis, l. II, hoc titulo; adeoque ad istud sufficiunt ea quæ ad transactionem. *Communis*.

(24. Ad juramentum litis decisorium *judiciale*, seu quod pars parti defert in judi-

cio, requiritur insuper quod, causa cognita, sit a iudice approbatum; l. *in bonæ fidei*, cod. De rebus creditis, et l. *Generaliter*, § *Sed juramentum*, cod. eod., ubi sic expresse habetur: *Sed juramento illato cum hoc a partibus factum fuerit et a iudice approbatum*.

(25. Ad juramentum necessarium, seu supplementarium plura copulative requiruntur. Primo, ut causa sit dubia, nec aliæ possint haberi legitimæ probationes: cit. c. *Sicut* 2, de probationibus. Si enim actor plene probavit, reus est condemnandus, nec tunc est locus juramento supplementario, cit. c. *Sicut* 2, et cap. *In presentia* 8, de probationibus. Secundo quod causa sit saltem semiplene probata. Si enim actor nihil probavit, absolvendus est reus; etiamsi is nihil præstiterit: l. *Qui accusare*, cod. De edendo, et cap. *Cum Ecclesia*, § *fin.*, de causa possess. Unde nec opus est quod tunc reus juret. *Communis*, cum Glossa in cit. l. *In bonæ fidei*, verb. *Decidi*, cod. de rebus credit. Tertio, quod deferatur solum personæ habenti veram scientiam causæ per proprios sensus corporeos, arg. c. *Testes* 15, caus. 3, qu. 9, et l. *Testium*, cod. de testibus; Glossa in l. *Bonæ fidei*, verb. *Decidi*, ff. de rebus credit. Quarto quod deferatur solum personæ legali, id est honestæ et fide dignæ, non autem vili, infami, seu tali, quæ secundum leges a ferendo testimonio repellatur: arg. cap. *Nulli* 3, quæst. 4; cap. *Constituimus* 3, quæst. 5; cap. *Testes* 2, quæst. 7; cap. *Præterea* 7, de testibus cogend., cum similibus.

(26. Juramentum necessarium, seu supplementarium, cæteris paribus, est potius deferendum reo quam actori. Glossa in l. *Admonendi*, verb. *Exacto jurejurando*, ff. de jurejurando; Speculator tit. de juramenti delatione, num. 9; Abbas in cap. *Juramenta* 36, de jurejurando, § *Sane* num. 9; Barbosa ibid., num. 6; Reiffenstuel lib. II Decretal., tit. 24, num. 191; Mascardus de probat., q. procem. 7, num. 53; Menochius de arbitr. Judic., l. II, cas. 190, n. 19, et alii passim, innixi cit. c. *Juramenta* 36, de jurejurando, § *Sane*, ubi sic dicitur: « Præsumptione vero faciente pro illo (scilicet pro actore, ut explicat Glossa) reo deferri potest ad ostendendam suam innocentiam juramentum, nisi iudex (inspectis personarum et causæ circumstantiis) illud actori videat deferendum. » Quibus verbis, ut vides, statuitur juramentum esse potius cæteris paribus deferendum reo quam actori; hic autem cætera supponuntur esse paria, cum supponatur, et quod actor semiplene probaverit suam intentionem, et reus suam defensionem, et sit æqualis conditio, atque legalitas utriusque, adeoque cæteris paribus reo potius quam actori est deferendum juramentum, favente etiam regula undecima juris in 6, ubi sic expresse statuitur: *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori*, et l. *Favorabiliores*, ff. de regulis juris, ubi sic dici-